



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Adriano Vlstrasyvanensi Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**



tam iudices quam Magister antedictus rebus propriis iusti sunt spoliari. Sed pater prefatus R. & Ecclesiam incastellare presumpsit, & quod minus prefatus Fordensis Abbas sententiam auctoritate apostolica promulgatam executioni mandaret, per violentiam impedire, quam adhuc detinere dicitur occupatam, & quod gravius est, ipse ac pater ejus manus in dictum Abbatem fecerunt injici violentas. quapropter in eos fuit ab eisdem iudicibus excommunicationis sententia promulgata. Processu vero temporis idem R. ad dilectos filios Abbatem de Garrera & conjudices suos, sapedito Magistro B. certa ratione suspectos, cum ad eos sine periculo mortis accedere non valeret, litteras impetravit: per quas asserens litteras falsas fuisse antedictis iudicibus destinatas, (quas nobis exhibitas in nullo invenimus esse culpabiles) quod ab eis legitime factum fuerat nitebantur in irritum revocare. Licet autem falsitatis vitium acerrime persequamur, ne tamen ex hoc poena innocentibus infligatur, discretioni vestrae per apostolica scripta precipiendum mandamus quatenus omni contradictione & appellatione cessante memoratam sententiam exequi minime postponatis; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, ut a sua praesumptione desistant, per excommunicationis sententiam compescentes; in irritum etiam reducentes quicquid obtentu praedictarum litterarum ad dictos Abbatem de Garrera & ejus conjudices directarum, in praedictum sapediti Magistri B. inveneritis immutatum. Illos vero qui manus in dictum Abbatem temerarias injecerunt, vel etiam injici praeeperunt, tamdiu excommunicatos publice nuntietis, & faciatis ab omnibus artibus evitari, donec passo injuriam satisfecerint competenter &c. usque absolvendi. Sic autem diligenter quae praemisimus exequi studeatis, quod vigilantiam vestram possimus propterea commendare, nec super his ad nos ulterius quaestio perferatur. Quod si fieret, grave nobis existeret & molestum. Quod si omnes &c. duo vestrum &c.

ADRIANO VLTRASYLVANENSI  
Episcopo.

Quoniam ea quae per ordinem judicialis examinis rationabiliter sunt decisa, nulla debent temeritate rescindi,

sed perpetuae stabilitatis robore confirmari, praesentium litterarum auctoritate statuimus ut si aliquod scriptum contra sententiam quae contra Flandrenses sacerdotes, qui positi sunt in terra sancti Michaelis quondam decimali, super jure parochiali pro te lata est, per subreptionem appareat impetratum, viribus careat, & tuis impofterum rationibus non obsistat. Illud quoque decernimus, & per praesentes tibi litteras indulgemus, ut si venerabilis frater noster Strigonensis Archiepiscopus, vel Gibiniensis Praepositus, aut ipsi Flandrenses Presbyteri, praeter conscientiam tuam & procuratoris tui in gravamen tuum iudices aliquos impetraverint, quos vel habeas adversarios vel manifeste possis probare suspectos, ad recusandum illos liceat tibi sedem apostolicam appellare, etiam si in commissionis litteris appellationis sit remedium interclusum. Datum Laterani XIX. Kal. Januarij.

CLERO, MILITIBVS,  
& populo Capuanis.

Inter innumeras sollicitudines nostras, quantum ad occupationes mundanas, illam quasi praecipuam reputamus quam de provisione regni Siciliae concepimus & tenemus; cum praeter debitum officij pastoralis, & jure dominij & ratione balij dignoscatur ad nos ejus provisio specialiter pertinere. Ut autem propositum nostrum evidentiùs prodeat in effectum, licet haecenus non sine multis anxietatibus & expensis tam spiritualiter quam temporaliter ad defensionem ejus intenderimus diligenter, & per Dei gratiam profecerimus, ecce nunc ad contritionem hostium & defensionem fidelium, ad exercendam justitiam & pacem servandam vices nostras, quas per nos ipsos nondum possumus praesentialiter exercere, dilecto filio nostro C. tituli sancti Laurentij in Lucina Presbytero Cardinali, viro nobili, provide, & honesto, quem inter fratres nostros speciali caritate diligimus, duximus committendas: quas ut melius possit implere, venerabiles fratres nostros Neapolitan. & Tarentin. Archiepiscopos (quorum fidem & discretionem in multis sumus experti, & qui constitutiones & consuetudines regni plenius agnoverunt) & dilectos filios Jacobum Marescalcum nostrum, & Odonem de Palumbaria, viros nobiles & pru-

Rrr iij

Epist. 245.  
De negotio regni Siciliae.

Vide infra  
epist. 280.

Epist. 244.  
A sententia & re iudicata non appellatur quidem, sed iudex suspectus semper reculari potest.